



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 An requiratur dispositio in suscipiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

B. Virgo quomodo fuerit efficiens sacramentum capax.

bus, nisi homines viatores, & cum dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Non enim remittuntur peccata nisi hominibus viatoribus. Illa vero sententia de B. Virgine probabilis non est: iuxta illam tamen respondendum esset, B. Virginem propter aliquam dispensationem, vel legem Dei extrinsecam, non potuisse post Filij conceptionem in gratia crescere, tamen per se & iuxta statum suum, capacem fuisse gratiæ & augmenti eius: & hoc satis esse, ut fuerit capax sacramentorum. Quod de Baptismo necessario dicendum est, nam per se est institutus ad dandam primam gratiam: unde per se respicit subiectum capax primæ gratiæ: B. autem Virgo ratione suæ perfectionis & confirmationis in gratia, non poterat amplius primam gratiæ recipere, tamen, quia ex vi conditionis & status talis personæ erat capax eius, ideo hoc satis est, ut fuerit capax Baptismi.

Creatura irrationalis sacramentaria quidem, non tamen sacramentaria recipere possunt.

Dices, rationem adductam solum procedere de sacramentis novæ legis, non autem in veteribus, exceptis illis, per quæ significabatur gratia, quæ in eis dabatur, ut erat circumcisio, & sacramentum legis naturæ: nam de his recte procedunt omnia, quæ de nostris sacramentis dicta sunt: secus autem videtur esse de alijs, per quæ solum dabatur sanctificatio legalis, nam huiusmodi sanctificatio conferri potest rebus etiam inanimatis: sic enim sanctificatur templum, calix, & similia: & per eam sanctificationem significari potest interior ac perfecta sanctificatio. Et respondetur, solos homines fuisse semper capaces sacramenti proprie dicti, quia sacramentum, ut supra diximus, quantum non semper ordinatur ad dandam gratiæ sanctificationem, semper tamē proxime refertur ad ipsos cultores Dei, scilicet ad iniciandos illos & consecrandos aliquo modo cultui diuino: soli autem homines inter creaturas sensibiles sunt cultores Dei. Unde illæ ceremoniæ, quæ interdum fiunt ad sanctificandas aliquo modo res inanimatas, non sunt proprie sacramenta, prout nunc de sacramentis loquimur, sed dicuntur sacra quædam, seu sacramentalia. Unde fit non solum de facto, sed etiam de possibili, irrationales creaturas esse profus inaptas & incapaces sacramentorum.

An Angeli sint sacramentaria incapaces.

Hic vero inquiri potest, an possint institui sacramenta sensibilia: quorum Angeli sunt capaces. Respondetur, non posse quidem Angelum in se recipere immediate materialem passionem, ut v.g. ablutionem, vel unctionem, quia hoc requirit materialem contactum, & quantitatem in vitro: extremo, posse tamen fieri de potentia absoluta, ut Angelus sanctificetur per signum sensibile, ut per vocem, aut per actionem factam, circa aliquod corpus. Nam sicut dæmō cruciatur per ignem, tanquam per instrumentum Dei: ita potest angelus sanctificari per aquam, vel aliud sensibile signum: hic autem modus sanctificationis non est consentaneus Angelicæ naturæ, primo quidem, quia omnino spiritalis est, & ideo non oportuit eam perfici & sanctificari per signa sensibilia, quamvis in peccatum peccati subijciatur mali Angeli actioni instrumenti sensibilis: tum etiam, quia sanctificatio Angelorum, quæ fit in via, cum ipsa natura incipit, & vno actu perfecte meritorio, ac deliberato consummatur: in patria vero, ut diximus, non est consentaneus sacramentorum usus.

Nullus homo viator est incapax omnium sacramentorum.

Dico secundo, Omnes homines viatores sunt capaces sacramentorum novæ legis. Non affirmo, quælibet hominem esse capacem omnium, sed indefinitè, sacramentorum. Et hoc sensu est assertio certissima, quia nulla est ætas, nullus sexus, nullave conditio, quæ personam viatricem absolute reddat incapacem omnium sacramentorum, si ea velit suscipere, ut postea dicemus. Item, omnes viatores de se sunt capaces gratiæ, & illa indigent: & sacramenta sunt media ad huiusmodi gratiam conferendam instituta: ergo ex se omnibus dari possunt, ergo etiam ex parte personarum omnes sunt capaces eorum, nam ceremoniæ

Franc. Suarez. Tom. 3.

sensibiles sacramentorum, per se loquendo, circa quælibet hominem exerceri possunt. Est autem in primis circa hanc assertionem observandum hominem viatorum (prout de illo nunc loquimur) non inchoare viam, donec ex vtero matris natus est: tunc enim incipit esse viator in foro Ecclesiæ, seu humano: nam quamdiu est in vtero matris, licet coram Deo iam sit viator, quatenus est persona à matre distincta, capax propriæ originalis culpæ, propriæque sanctificationis, si Deus illam cōferre velit, tamen quoad nos homines, qui sensibus utimur, tunc censetur inchoare viam suam, quādo hæc luce frui, nobisque sensibilibus apparere potest: & ideo, quamdiu homo later in vtero matris, non est capax sacramenti, quod per ministros Ecclesiæ visibilis modo sensibili & ad subiectum sensibile applicari debet. Deinde est observandum, hanc capacitatem non respicere immediate omnia sacramenta, sed solum sacramentum Baptismi, cuius omnes viatores ex se capaces sunt proxime, ac immediate: quia Baptismus, ut postea dicemus, est ianua sacramentorum, post illum vero susceptum omnes homines sunt capaces saltem aliorum duorum sacramentorum, scilicet Confirmationis & Eucharistiæ: nam hæc nullam aliam conditionem certam requirunt, quæ simpliciter necessaria sit ad valorem, vel effectum sacramenti, aliorum vero sacramentorum non omnes homines sunt capaces, sed quædam requirunt certam ætatem, alia determinatum sexum: alia vero conditiones alias, quæ in singulis sacramentis explicanda erunt. Quocirca ultimo observandum est, hanc capacitatem non solum esse physice cōsiderandam per modum propriæ potentiæ passivæ, sed præcipue per modum capacitatis moralis: si enim physice cōsideremus capacitatem hominis, ut circa illum exercetur actio illa, vel cæren: omnia, in quibus ritus sacramentorum consistit, nullus homo est, qui, per se loquendo, non habeat hanc capacitatem, ut per se constat, siue sacramentum recipiatur per inhaerentiam siue per contactum, siue per verborum prolationem, aut alio modo simili. Tamen sicut sacramentum non est tantum ille ritus externus quomodo documt factus, sed cum debitis conditionibus, ac necessarijs, ut sit signum efficacis gratiæ, ita illa capacitas physica, & materialis (ut sic dicam) non satis est ad capacitatem sacramenti, sed requiritur ut cōiunctas habeat eas circumstantias & conditiones, quæ iuxta Christi institutionem necessariæ sunt ad sacramentalem ritum: & hanc propterea vocamus, capacitatem moralem. Atque his observatis, sic prædicta assertione exposita nulla difficultas circa illam explicanda occurrit.

SECTIO II.

Verum ad valorem sacramenti requiratur ex parte suscipientis consensus voluntatis eius, vel aliqua alia dispositio.

Hæc difficultas locum non habet in paruulis, qui De pueris capaces proprii consensus: aut dicendum est, eos esse incapaces omnium sacramentorum: quod est hæreticum: aut Deum miraculosè efficere, ut consentire possint susceptioni sacramenti, illuminando eos interiorius, eosque præveniando, ut ratione uti possint, sicut Hæretici fingunt, quod vanum est, ac temere & sine fundamento excogitatum, non solum contra totius Ecclesiæ sensum, omniumque Patrum doctrinam, verum etiam contra experientiam ipsam, ut in materia de Baptismo latius dicturi sumus: Aut dicendum est, infantes esse capaces sacramentorum sine proprio consensu, quod est certissimum, ut latius citato loco dicemus.

Quæstio ergo superest de adultis. In qua prima sententia est, ex parte suscipientis sacramentum, non requiri interiorem consensum, seu intentionem suscipiendi sacramentum, sed solum, ut non habeat contrariam

O 3 trariam

trariam voluntatem, vt si Gentilis seu infidelis adul-
 tus, qui nihil vnquam de Baptismo cogitauit, vt il-
 lum velle aut nolle potuerit, dormiens baptizetur,
 sacramentum erit validum, iuxta hanc sententiam,
 quam defendit Caiet. infra q. 68. art. 7. Qui motus vi-
 detur primo ex verbis Iun. in c. Maiores, de Bapt. vbi
 fic inquit, Tunc characterem sacramentalis imprimit
 operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non
 inuenerit. Secundo, exemplo paruulorum, in quib⁹,
 vt diximus, nulla voluntas requiritur, sed sola non
 repugnantia. Tertio, in sacramento Extrema vnctio-
 nis videtur colligi ex vsu: datur enim homini bap-
 tizato, si contingat eum subito rationis vsu amitte-
 re, & in mortis periculum incidere, quamuis nullam
 voluntatem ostenderit recipiendi sacramentū, quia
 satis existimatur, quod contrariam voluntatem non
 habuerit. Quarto, quia Concil. Flor. tribus tantum
 dixit perfici sacramenta, materia, forma, & ministro
 habente debitam intentionem: si autem intentio susci-
 piens esset necessaria, debuisset quatuor numerare.
 Nec multum ab hac sententia discrepat gloss. in cap.
 Solet, verbo, simulatione, & verbo, implorandum,
 de consecr. distinct. 4. quamquam illa sentit, etiam
 contrariam voluntatem recipientis non obitare ve-
 ritati sacramenti ex ca. de Iudæis, 45. distinct. vbi ta-
 men non est sermo de suscipiente sacramentum sine
 vilo interiori consensu, sed de illo, qui per vim addu-
 citur vt consentiat. In eadem fere sententia fuit gloss.
 in c. Maiores, de Baptif. verbo, Per durare, quæ tamen
 addit, quod si quis ore consentiat, quamuis corde
 dissentiat & nolit sacramentum, nihilominus sacra-
 mentum recipiet, quia Ecclesia dare illud intendit:
 & ita interpretatur capitulum, Sicut ficit. 1. q. 1. & ca.
 Solet, de consecr. dist. 4. Sed hoc quod hæc glossa ad-
 dit, si vt sonat, intelligatur, improbable est, quia so-
 lius oris mendacium non potest conferre ad valorem
 sacramenti, si interior intentio necessaria est, vel, si
 hæc non est necessaria, neque oris mendacium repu-
 tari potest necessarium, vt sacramentum teneat: er-
 go si is, qui interior non habet voluntatem recipi-
 endi sacramentum, exterius illam ostendens, verum
 sacramentum recipit, eadem ratione, etiam si exte-
 rius contradicat, sacramentum erit validum, quod
 falsissimum est, vt dicemus: ergo æque fere falsum
 est, exteriorem consensum sine interiori ad valorem
 sacramenti sufficere. Nec Decreta, quæ illa glossa al-
 legat, quidquam inuuant, nam in priori, in quo dici-
 tur sacramentum cum fictione esse validum, non est
 sermo de ficta voluntate recipiendi sacramentum:
 sed de obice seu fictione contraria effectus sacramen-
 ti: quo sensu dicere solemus, sacramentum incipere
 habere effectum recedente fictione. In posteriori
 autem capite, quod ex Augustino sumptum est libro
 7. de Baptif. ca. 53. potius aperte dicitur, ad veritatem
 sacramenti requiri, vt absque simulatione recipiatur,
 est autem propria simulatio: quando aliquis ore ali-
 quid profitetur, & contrarium habet in corde. Di-
 xi autem, huius glossæ sententiam falsam esse, si prout
 sonat, intelligatur: quia in alia gloss. marginali, ita
 exponitur, vt non sit sensus, tale sacramentum ve-
 rum esse, sed solum in foro Ecclesiæ verum præsumi,
 quando suscipiens exterius profitetur velle se susci-
 pere sacramentum, quod quidem in se verum est,
 quia licet postea neget se interiorius consensisse, non est
 ei fides adhibenda, tamen si glossæ illæ hunc sensum
 intendebant, nec verbis suis satis explicant, nec ve-
 ram differentiam assignant inter dantem, & reci-
 pientem sacramenta: nam in illo dicunt requiri in-
 tentionem dandi, in hoc vero negant requiri inten-
 tionem recipiendi. Nam si loquantur in re ipsa, hoc
 posterius falsum est, vt videbimus: si vero in foro
 Ecclesiæ, nulla est differentia, nam etiam sacra-
 mentum datum à ministro, qui exterius professus est vel-
 le se dare sacramentum, ratum habebitur in foro
 Ecclesiæ, etiam si ille postea neget se habuisse inten-

tionem dandi, vt in Matrimonio constat, & eadem
 ratio est de aliis. Quod intelligendum est, quando ex
 signis & coniecturis exterioribus non potest satis
 probari humano modo ex morali defectu interioris
 intentionis.

Secunda sententia in alio extremo esse potest: præ-
 ter voluntatem suscipientis sacramentum requiri, a-
 liquam aliam dispositionem ad valorem sacramenti.
 In qua dispositione potest esse latitudo, & opinio-
 nis varietas: nam illi hæretici, qui putabant, neminem
 recipere verum sacramentum, nisi qui recipit sancti-
 ficationem seu sacramenti effectum, consequenter
 dicerent, gratiam seu dispositionem illam, quæ ad ef-
 fectum sacramenti necessaria est, ad valorem etiam
 sacramenti requiri: quia non est, cur Deus conferat
 sacramentum, quod maximum donum est, homini
 indigno & sine fructu. Alter vero modus dicendi esse
 potest, saltem fidem requiri in suscipiente ad valorem
 sacramenti, quod significat Aug. lib. 7. de Baptif. c. 53.
 in c. Solet, de consecr. dist. 4. dicit enim vt sacramentū
 teneat oportere, vt sine simulatione & cum aliquali
 fide recipiatur. Et propter hanc fortasse causam dixit
 Cyrill. Hierosol. in præf. Cateches. re baptizari eos,
 qui in statu hæresis baptizati fuere.

Dico tamen primo, ad valorem sacramenti neces-
 sarium esse, vt recipiens habeat intentionem seu vo-
 luntatem formalem, aut virtuales seu interpretati-
 uam recipiendi sacramentum. Hæc conclusio collig-
 itur ex communi sententia Theologorum, qui hoc
 specialiter docent de Baptismo, vt patet ex 1. Tho.
 infra q. 68. art. 7. & in 4. d. 6. q. 1. art. 2. quæstion. 3. Bo-
 nauent. d. 4. art. 2. q. 1. Scot. q. 4. Durand. q. 7. Richar-
 d. 6. ar. 2. q. 3. Palud. q. 2. Adri. q. 1. de Bapt. art. 3. Alex.
 Alenf. 4. p. q. 18. membr. 1. qui idem docent de sacra-
 mento Ordinis, & de aliis, vt suis locis videbimus, ac
 de sacramento Eucharistiæ similiter docet, si aliquis
 baptizatus & in gratia existens illum recipiat casu &
 sine voluntate recipiendi sacramentum, non recipere
 effectum eius, quia illa sumptio non est sacramentalis:
 ergo in alijs sacramentis, quorum substantia consti-
 tit in vsu, multo magis requirent prædictam volun-
 tatem, vt talis vsus sit sacramentalis, atq; adeo vt cō-
 ficiatur verum sacramentum. Et probatur hæc sen-
 tentia primò ex Concil. Carthag. 3. c. 34. vbi sic dicitur.
 Egrotantes si pro se respondere non possunt, cū
 voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, dixe-
 rint, baptizentur, & in Concil. Araul. 1. c. 12. similiter
 dicitur, Obmutescens baptizari aut pœnitentiā acci-
 pere potest si voluntatis præteritæ testimonium a-
 liorum verbis habet. In quibus Concilijs aperte sup-
 ponitur, voluntatem adulti esse necessariam, vt sa-
 cramentum recipere possit. idem clarius docet Inno. 3.
 in c. Maiores, §. Item quaritur, de Bap. vbi inquit, Ille
 vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradic-
 dit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti: &
 paulo post inde probat, eum, qui contradicit susce-
 ptioni sacramenti, etiam si inuitus baptizetur, non
 recipere sacramentum, Quia plus est (inquit) expref-
 se contradicere, q̄ minime consentire. Quod ergo in
 fine totius capituli concludit, Tunc sacramentum esse
 validum, cū obicem voluntatis contrariæ non inuenit
 obstitentem, iuxta præcedentia intelligendum est, nā
 per voluntatem contrariam intelligit, non solum po-
 sitiuum dissentium, sed etiam carentiam consensus.
 Quia enim questio propofita fuerat de illo, qui inui-
 tus baptizatur: ideo de hoc expresse respondet:
 iam vero declarauerat, solum carentiam consensus
 obstitere sacramento. Eo vel maxime quod morali-
 ter loquendo, adultus, qui non consentit, resistere
 censetur, & inuitus pati: & ideo pro eodem cen-
 setur, moraliter loquendo, carere consensu, & habere
 obicem dissentientis voluntatis. Præterea, in eadem
 sententia est August. in c. Cum pro paruulis, de con-
 secr. d. 4. ex lib. 4. de Bapt. c. 24. vbi ait, ideo sufficere
 vt pro paruulis alij respondeant: quia ipsi responde-
 re non

non possunt, At, si pro eo (inquit) qui respondere potest, alius respondeat, non in idem valet, ex qua regula, illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter mouet: ataten habet, ipse pro se loquatur. Ioan. 9. In quib. verbis rationem differentia assignat inter paruulos, & adultos, nã sacramentum vt validum sit, non eadem conditiones requirere debet in omni subiecto, sed iuxta vniuersumque capacitatem: quia ergo paruulus non est capax proprie voluntatis, voluntas Christi seu Ecclesie ei sufficit: secus vero esse debet in adulto, qui capax est proprie voluntatis. Atpeandem doctrinam habet, idem Aug. lib. 7. de Bapt. c. 53. prout habetur in d. c. Verũ sub figura, quamuis Glos. ibi textum destruat. Ex his ergo satis constat, hanc fuisse Christi voluntatem, & institutionem, quæ est prima ac præcipua radix huius veritatis: & ex vñu & traditione Ecclesie præcipue habetur: indicatur vero in illis verbis Christi. Matth. vlt. Itē, docet omnes gentes: debet ergo doctrina præcedere Baptismi, vt sicut fides voluntarie suscipienda est, ita & Baptismus: atque eadem ratione quodlibet sacramentum voluntarie suscipiendi ab his, qui voluntate propria vti possunt. Ratio vero seu congruentia est, quia sicut ad suauem Dei prouidentiam spectat non iustificare aduultum, nec gratiam illi augere, sine eius consensu, & voluntaria dispositione: ita pari ratione pertinet ad idẽ prouidentie genus, vt nullus aduultus per sacramenta iniiciatur, vel consecratur sine proprio consensu. Quod tandem confirmatur & declaratur inductione facta in omnib. sacramentis, nam in trib. illis quæ imprimunt characterem, valde necessarium fuit: vt in adultis nõ essent valida sine proprio eorũ consensu, vt de Baptismo dicitur in d. c. Maiores: alioqui, cũ hæc sacramenta iterabilia nõ sint, statim impingeret characterẽ: vnde sequeretur, cogendũ esse ad fidem & ad profitendam legẽ Christi eum, qui sine proprio consensu aduultus baptizatus est, quod esset magnũ incommodum, & contra conuenientem Ecclesie gubernationem: & propagationẽ, vt latius in materia de fide disputatur. Præterea de Matrimonio, & Pœnitentia sunt speciales rationes euidentis: Matrimoniu enim essentialiter fundatur in contractu: contractus vero huiusmodi omnino necessarius requirit consensum seu voluntatem dandi & acceptandi: ergo voluntas contrahendi: & tradendi mutuo corpora sua, est necessaria in coniugibus suscipientibus hoc sacramentum: præsertim, quia cũ ipsi sint ministri talis sacramenti, necessaria est illis intentio faciendi sacramentum. Pœnitentia vero intrinsece inuoluit, vt ex propria voluntate oriatur: vnde non solum voluntas suscipiendi sacramentũ, sed etiam aliqua alia dispositio ac voluntaria retractio peccatorum est necessaria ad valorem huius sacramenti. Rursus Eucharistia, quia non consistit in vñu, sed sit per consecrationem materiæ, ideo non pendet in suo fieri ex voluntate suscipientis, sed ex sola intentione consecrantis, & quia est sacramentum permanentis, postquam semel factum est, non pendet in esse, & conseruari ab vñu, vel voluntate vtentis. Vnde fit, vt tale sacramentum re ipsa sumi possit ab inuito, vel nõ habente voluntatem suscipiendi sacramentũ, vt si casu vel per errorem aut deceptionẽ contingat proponi ad manducandum panem consecratum loco communis panis: tamen, vt supra insinuauimus, & suo loco latius dicemus, illa sumptio sacramenti est mere materialis, & non est vñus sacramentalis, i. e. facit & ordinatus ac sufficiens ad effectum talis sacramenti, nam in eo casu sic recipiens sacramentũ, non reciperet effectum eius, nec per illam corporalem refectionem interior animæ resectio aut vñio animæ cum Christo significaretur: quia ille non est humanus vñus sacramenti, vt sacramentũ est: in hoc ergo mysterio ad recipiendum sacramentum etiam requiritur voluntas & consensus suscipientis, si sit capax illius, quantum

pro sacramenti qualitate & modo requiri potest, scilicet ad formalem vñum eius. Solum ergo superest, vt in Extrema vnctione hoc etiam explicemus: nam in hoc etiam sacramento verum est, nunquam dari homini sine illius consensu & voluntate: hæc tamen voluntas non oportet vt sit actualis, sed satis erit, quod fundetur in aliqua priori voluntate non retractata ratione cuius susceptio sacramenti, moraliter voluntaria censeatur, vt a fortiori patet ex his, quæ de intentione ministri superius tractauimus. Quin potius minor concursus voluntatis huius requiritur in suscipiente, quàm in ministrante sacramentum: nam quia in ministro intentio concurrat aliquo modo, vt causa efficiens sacramentum: ideo oportet, vt sit actualis, vel saltem virtualis: in suscipiente vero nõ requiritur vt causa influens in sacramentum efficiens, sed solum vt conditio ex parte subiecti necessaria, vt sacramenti susceptio sit voluntaria, non vt effectus sed vt obiectum volitum, ad quod satis est, quod aliquis actus præcesserit, qui non sit retractatus, sed habitualiter ac moraliter maneat. Propter quam rationem diximus etiam superius, sacramentum non posse ministrari ab amente, ratione intentionis prius habitæ, posse tamen recipi ab amente ratione voluntatis & consensus prius adhibiti. Adde præterea, hunc consensum quem necesse est præcessisse, quando actu non adest, non esse eodem modo necessarium in omnibus sacramentis, nam Baptismus, verbi gratia, quia est ianua ad Ecclesiam, & in eo fit prima solemnis professio fidei & legis Christi, ideo videtur requirere in adulto voluntatem magis expressam & formalem. Similiter Pœnitentis vt materiam: ideo etiam requirit voluntatem formalem, qua pœnitens se, & actus suos clauibus Ecclesie subiiciat: at vero in Extrema vnctione, quæ per se supponit hominem baptizatum, & bene dispositum per pœnitentiam, & non postulat al quos actus ipsius hominis recipientis tale sacramentum vt ipsum aliquomodo constituant, non requiritur voluntas adeo expressa & formalis suscipiendi: tale sacramentum in particulari, sed sufficit voluntas, qua vnusquisque fidelis pœnitens ac bene dispositus vñe frui omnibus sacramentis & remedijs à Christo Domino ad suam salutem institutis, & ea cupit sibi applicari, si eis indigerit. Quam voluntatem & petitionem ab ea profectam exigit Ecclesia in particulari circa sacramentum Extremæ vnctionis, quando homo est sui compos, suamque voluntatem explicare potest: quando vero non potest, si aliunde constat, hominem ægrotum esse bene dispositum, seu signa pœnitentiæ dedisse, præsumit Ecclesia, illum habuisse saltem generalem illam voluntatem, quam explicuimus, eamque sufficientem reputat ad hoc sacramentum præstandum.

Atque ex his non solum probata est assertio posita, sed etiam fere responsum est fundamentis, quæ in fauorem Caietani adduximus, præsertim trib. primis. Ad quartum vero ex Concil. Flor. responderetur, Concilium Florentinum non numerasse suscipientem, & intentionem eius: quia hæc non in omnibus nec semper sunt necessaria: ad conficiendum enim sacramentum Eucharistiæ non requiritur suscipiens ex vi sacramenti, & in paruulis non est intentio necessaria. Adde in sacramentis, quæ consistunt in vñu, suscipientem quodammodo includi in materia, quatenus hæc consistit in passione aliqua, quæ circa suscipientem exercetur.

Dico secundo, excepto Pœnitentiæ sacramento, 2. Conclusio. in reliquis nulla dispositio fidei, pœnitentiæ, aut iustitiæ necessaria est ad valorem sacramenti. De exceptione posita dicemus suo loco, quia in illo sacramento illud est peculiare, vt idem actus, quo suscipiens disponitur ad effectum sacramenti, sit pars substantialis ipsius sacramenti. De reliquis ergo sa-

cramentis certa est conclusio, primo: ex definitione Conciliorum & Pontificum tradentium, hæreticos baptizatos, vel ordinatos, si iuxta ritum Ecclesiæ Catholicæ baptizati, vel Ordinati sint, non esse iterum baptizandos, vel ordinandos: quorum testimonia præcedenti disputatione adducta sunt. Supponunt ergo, sacramentum susceptum sine vera fide, & cõsequenter sine vlla supernaturali dispositione voluntatis, esse validum. Eandem veritatem sæpe tradit Aug. lib. 2. contra Parme. c. 16. lib. 2. contra Petil. c. 35. vbi dicit, Si quis baptizetur, propter flagitium aliquod committendum, dum modo baptizari velit, vere manere baptizatum. Idem lib. 3. de Bapt. c. 14. atq; eodem sensu lib. de catechizand. rud. c. 17. dicit, aliquos fieri Christianos propter lucrum temporale, & nihilominus valide baptizari. Et hoc ipsum confirmat historia, quam refert Niceph. lib. 14. hist. c. 17. videlicet, Iudæum quendam lucranda pecunia causa, sæpe Baptismum accepisse, ac tandem cum à quodam Paulo Episcopo baptizandus accederet, ineffabili quadam diuinæ prouidentia vi, aquam semel atq; iterum disparuisse, atq; illo mirabili signo compertum esse, illum Iudæum prius fuisse baptizatum. Vnde etiam constat, primum baptismum in eo Iudæo fuisse validum, quamquam sine recta intentione, ac fortasse sine debita fide ad illum accessisset. Congruentia ad hanc veritatem confirmandam eadem afferri possunt, quæ de ministro adducta sunt disputationi præcedenti. Et optima est, quia aliud est sacramentum, aliud effectus sacramenti: & sacramentum de se prius est: ergo non impeditur propter dispositionem contrariam effectui, si sacramentum ipsi contraria non sit. Item, talis dispositio ad effectum non est causa sacramenti in vilo genere: ergo, etiam si deficiat, concurrere possunt omnes causæ necessariæ ad conficiendum sacramentum: ergo perficitur sacramentum. Tandem inductione constat, tria sacramenta initerabilia non esse iteranda, eo quod indigne suscepta sint. Atque idem est de Matrimonio, & Extrema vnctione, quatenus aliquo modo iterari non possunt: illud, viuente vtroq; coniuge, hoc, durante eadem ægritudine eodemque statu eius. De Eucharistia non oportet probationem addere, cum sit sacramentum permanens: neque enim Christus discedit, quando ab indigno sacramentum sumitur, vt infra suo loco latius dicemus. Quod vero secunda sententia obiebat, Deum non conferre sua dona indignis, vniuersè intellectum falsum est: tanta enim est Dei bonitas, vt omnibus se communicet, quantum in ipso est. Addo vero, per se instituta esse sacramenta, vt homines illis vtantur: Deum autem iuste permittere, vt mali interdum eis abutantur: noluit tamen tunc sacramenta esse inualida, quia oportuit sacramenta esse certa, & vniuersalia: vnde etiam fit, vt aliquando profint eis, qui indigne illa receperunt, si postea resipiscant.

Ad Augustini vero testimonium, quod ibi afferbatur, respondetur in primis, illum in eo capite magis dubitando, quam asserendo, procedere. Deinde dicitur, non requirere fidem simpliciter, id est, supernaturalem, quæ infidelitatem, & omnem hæresim excludat: sed aliquam fidem, id est, aliqualem credulitatem, quanta nimirum necessaria esse potest ad voluntatem suscipiendi sacramentum habendam. Ad Cyrillum respondetur, cum inquit (Hæreticos rebaptizandos, siquidem prius illud non erat Baptisma) hæc verba indefinite, non vniuersaliter esse intelligenda, de his nimirum, qui in ipsomet Baptismi vsu hæretici sunt, & veram formam vel materiam Baptismi corrumpunt: nam si non interueniant huiusmodi defectus, sola hæresis suscipientis non sufficit, vt sacramentum nullum fit.

De numero sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.



DEINDE considerandum est de numero sacramentorum.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtum sint septem sacramenta.

Secundo, de ordine eorum ad inuicem.

Tertio de comparatione eorum.

Quarto, vtum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICVLVS I.

Vtrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute diuina ex virtute passionis Christi. Sed vna est virtus diuina, & vna Christi passio, vna enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, vt dicitur Hebr. 10. Ergo non debuit esse nisi vnum sacramentum.

2. Præterea, Sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex: scilicet, pena & culpa: ergo sufficeret esse duo sacramenta.

3. Præterea, Sacramenta pertinent ad actiones Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vt per Dionys. * patet. Sed, sicut ipse dicit, tres sunt actiones Hierarchiæ, scilicet, purgatio, illuminatio, & perfectio. Ergo non debent esse nisi tria sacramenta.

4. Præterea, August. * dicit, 19. contra Faust. Sacramenta nouæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet Confirmationi & Extremæ vnctioni. Ergo nec, hæc debent numerari inter sacramenta nouæ legis.

5. Præterea, Luxuria non est grauius inter cetera peccata, vt patet ex his quæ in secunda parte dicta sunt. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum Matrimonij.

6. Sed contra videtur, quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quasi quedam sacra signa. Sed multa alie sanctificationes sunt in Ecclesia secundum sensibilia signa sicut aqua benedicta, consecratio altaris & alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramenta, quam septem.

7. Præterea, Hugo * de S. Viçiore dicit, quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decime & sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiæ est vnum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes & decime debent dici sacramenta.

8. Præterea, Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale, & veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur Baptismus, contra mortale autem Penitentia. Ergo deberet esse aliud præter septem, quod ordinetur contra veniale.

Respondendo dicendum, quod, (sicut supra * dictum est) sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem, in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem Christianam vitam, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritalis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut & cetera corporalia conformata em quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Vno modo quantum ad personam propriam: alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua viuunt: quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Vno modo per se, acquirendo scilicet, aliquam vitam perfectionem: alio modo per accidens, scilicet remouendo impedimenta vitæ, puta, ægritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam